



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

20. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Episcopum Alectensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Documentum XX.

Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII PP. XI. ad
Illustrissimum ac Reverendissimum Episcopum
Alectensem.

19. Septemb. Anno 1677.

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem. Susceptam à Nobis de pastorali in Alectensi Ecclesia regenda, ac Ecclesiastica disciplina instauranda Fraternalitatis tuæ zelo opinionem mirificè confirmârunt Litteræ, quas 30. Julij ad Nos dedisti. Ipsæ enim refertæ sunt cum pij, cum vigilantis animi sensibus, ut nullum Nobis de eo dubitandi locum relinquunt. Pro comperto autem te habere volumus, religiosis studijs tuis constanti Nos præsidio atque autoritate affuturos, libentèrque occasiones omnes amplexuros, ex quibus propensam erga te voluntatem Nostram agnoscere valeas. Quod attinet ad ea, quæ fusè Nobis tum per litteras, tum per earum exhibitorem significasti, tanti profectò momenti sunt, iisque implicata difficultatibus, ut diligenti, & maturâ discussione profusè indigeant. Pro muneris itaque Nostræ debito accuratè eadem examinari mandabimus, illudque super his consilium capiemus, quod in Domino expedire judicaverimus. Assiduis interim apud supremum Patrem luminum juvari precibus vehementer à te petimus, dum Nos dilectionis Nostræ pignus Fraternalitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

19. Sept. 1677.

Docu-